

DIEM
 ONOMASTICVM
 PLANE ROSEVM
 MAGNIF. NOBIL. AMPLISS. ET CONSVLTISS.
 DOMINI
 IOHANNIS
 GODOFR.
 ROESNERI,

INCL. REIPVBL. THORVN.

Praecons. & Protoscholarchae Gravissimi

quum ille

A.R. S. M. DCC. XXIII.

Die S. Ioh. Bapt. sacro

felici omine recurreret,


FLORIBVS ET ROSIS POETICIS

Submiffo animi affectu

conspargere,

*Votaque pro incolumitate Maximi Maecenatis suscepta
 ex merito exfolvere volebant*

GYMN. THOR. CIVES.



THORVNI

Typis Io. Nicolai, Nob. SENAT. & Gymn. Typograp.

*Hoc nuncupet Altopos reposita
 Et Galathea fecit perdit.*



Elix, secundis fama volatibus
Quem delicato provehit essedo,
Quem seculis mandare virtus
Et populo eripuisse gaudet.
Fasces fugaces ac fragiles ruunt:

Palmata vestis, purpura Caesarum,
Fulgorque gemmarum vetusto
Tempore abit: statuae & Colossi
Cadunt trifulco fulmine, quamlibet
Pulsent propinquo culmine nubila:
Vulcaniae cautes teruntur
Ignibus, ac subito liquecunt.
Convexa coeli lustra oculis tuis:
Erratne eadem Cynthius orbita?
Qui Phryxon illustravit olim,
Post aliquot repetisse Chelas
Menses videtur; solstitium & Cani
Coniunctus idem reddere fervido;
Vstasque post menses Iacchus
Atque hyemes remeare tristes.
Quid mirum, avitis regna nepotibus
Erepta ferri praecipiti gradu,
Regnata Gradivo Quiritum
Bistoniam subiisse Lunam?
Permista passim gaudia luctibus
Praetendit orbis: dissocias licet,
Rursus coibunt; se sequuntur,
Et fugiunt; vicibusque mille
Versant habenas. Saepe togam dabit
Albam Voluptas, quam subito induent
Nigrante praeficae colore,
Funereaque tegent cupresso.
O spes inanes! vanaque saeculi!
Benigna filum quod Lachesis trahit,
Hoc rumpet Atropos repente,
Et Galatea febris peribit.

Non

Non sic inani pascit imagine
Perenne nomen Famaque pervigil;
Evanida nec fallit umbra,
Aut specie comites Honesti.
Cadant Colossi: pyramides ruant:
Labantur annis Pergama: diffluent
Etlilia & spirans amomum,
Ac latices pereant amoeni.
At non peribit Fama serenior:
Non alta nubes tempora Palladem
Involvet, ut post quina lustra
Tristis eam Libitina obumbret.
Qui concitato pectoris impetu,
Virtute missa, Atlanticum arat mare,
Multumque Bellonae cruorem
Immolat, ut patriae rapinis
Clarescat; aut qui tela Cupidinis
Exaestuantis sponte sua pati,
Vel Palladi praefert Falernum,
Immoriturque opibus caducis:
Non hunc vel aevum vivere deputem
Vitale, dignum vel fore sidere,
Gliscente curarum tumultu
Mentis enim remoratur alas,
At quem ministra Relligio manu
Virtusque fulgens rebus in arduis
Extollit, & candor Fidesque
Cecropiae & famulantur artes:
Hoc ille mentis remigio meat,
Pennisque purum dissipat aethera:
Huic Fama laxabit Triones,
Hunc superis dabit ire campis,
Hoc duxit olim Gloria tramite
Fortes Catonas, Famaque Romuli,
Virtute permensa, nepotes
Reddidit indigetes Honoris.

Tho.

Thorunienses hac quoque semita
Ivere PATRES: nescia deprimi
Perrupit ad praecelsa virtus,
Ac celebres peperit Togatos.
Effoeta nondum secula visimus,
Clarumq; folget ROESNERIVM iubar:
ROESNERVS auratos per ignes
Aethera suave micans serenat.
Sive ille magnam flectere Curiam,
Seu ferre leges, Templaque gestiat
Ornare seu fontes tueri
Castalios; simili vigore,
Nunquam fatiscens, consilia expedit:
Supposta cervix stelligero polo
Nullo fatigatur labore,
Terno oneri quoque par ferundo.
Hinc docta Pallas, hinc Pietas suos
Praebet lacertos, ac faciles facit
Astraea conatus: amoeni
Stant medi gravitate vultus:
Admitte Numen Pieridum preces,
Ac pertinaces adspice, promove
Curas Tui PROTOSCHOLARCHAE,
Quem merito veneramur omnes.
Conduplicato secula: candidis
Horae quadrigis saepius hunc diem
Gymnasio apportent: resperge
Dulce rubente rosa senilem
Frontem: coruscet lumine vivido
Innube pectus: provehe, sospita,
Dum cuncta corrodit vetustas,
Nobile Praesidium Lycei.

•••••